



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Meditationes De Præcipvis Fidei Nostræ Mysteriis**

Vitæ ac Passionis D.N. Iesv Christi; Et B.V. Mariæ; Sanctorumq[ue] et  
Euangeliorum occurrentium Cum Orationis Mentalis circa eadem praxi In  
sex partes tributæ

Qvae Meditationes Complectitvr circa omnia Christi Domini Acta, ab eius  
Baptismo ad finem vsque Prædictionis, Doctrinam, Miracula, Parabolas

**Puente, Luis de la**

**Coloniae, 1612**

28. De Zachæi conuersione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54633)

diceret, quandoquidem ab hoc te periculo liberaui; non intelligas id factum esse, vt in posterum ea carnis libertate viuas, quâ hactenus; sed vt temperatam, mundam, & castam in posterum vitam ducas, non rediens ad antiqua peccata. Est autem fas credere, sicut accusatores non amplius sunt ausi contra illam agere, Christo Domino ita statuente, ita illam nunquam ad antiqua peccata rediisse; sed in Dei seruitio perseverasse, non tam pœnæ formidine; quàm eius amore, à quo tantum beneficium se accepisse agnoscebat; cui sit honor & gloria in æternum. Amen.

*MEDITATIO XXVIII.*  
DE ZACHAEI PUBLICANORUM Principis conuersione.

PUNCTVM I.



INGRESSVS a Iesus per ambulabat Iericho, & ecce vir nomine Zachaeus, & hic princeps erat publicanorum, & ipse diues; & querebat videre Iesum quis esset, & non poterat praeterea, quia statur a pusillus erat: & praecurrens ascendit in arborem Sycomorum, vt videret eum: quia inde erat transiturus.

a Luc. 19. 1.

I.

HIC considerandum est initium conuersionis huius hominis diuitis & potentis inter suos, qui tamen insignis erat peccator, valdeque cupidus & primus ac principalis inter publicanos, qui in populo illo Hebræo magni peccatores habebantur. Initium ergo conuersionis eius, fuit desiderium quoddam à Deo immissum, videndi & cognoscendi Iesum, persuasus, hinc solum a spectu, profectum aliquem sibi allaturum. nec fraudatus est spe sua, quia initium nostræ salutis est, viua fide Christi videre illumque eo modo cognoscere, quo ille vixit in hoc mundo per Iericho adumbrato: aspicientes illum pauperem, mitem, humilem, ac pro nobis crucifixum, cuius aspectus nos mouet, ad peccata nostra & cupiditates abijciendas. O bone Iesu, da mihi desiderium efficax te hac ratione aspiciendi. nam si *b quicumq; à veris serpentibus percussus animum serpentem aspiceret, sanabatur*: multò efficacius si te verum Deum & hominem, imagine peccatoris in cruce pendentem aspexero, ab omnibus meis peccatis liberabor.

b Num. 21. 9.

II

DEINDE perpendendum est, quàm fuerit efficax desiderium illud Zachæi, & quantam ut illud expleret, diligentiam adhibuerit, nullam ducens rationem honoris huius mundi, nec curans, quid de illo homines dicerent, cum diuitem ipsum ac inter suos principalem currentem viderent tanquam puerum, & arborem postea conscendentem; vbi est verisimile, quod transeuntes illum irriserint;

præci-

præcipuè cum statura pusillum aduerterent. Ex quo exemplo discam imprimis, quando bonum aliquod desiderium mihi Deus inspirauerit, conculcandum esse mundi honorem, vt illud pro salute mea exequar: & sicut Zachæus fecit, conscendendam esse Sychomorum siue ficum stultam, vt delicias huius mundi, diuitias & honores calcem, amplectar verò quæ ipse iudicat stulta, qualis est crux Christi. O bone Iesu, qui mei causa crucis arborem conscendisti, vbi despectus & derisus ab hominibus fuisti; concede mihi, vt & ego eandem conscendam arborem, quæ c*electis est virtus Dei & sapientia, pereuntibus autem, & mundi huius est stultitia*: certus sum enim, si eam spiritu conscendero, te oculos in me misericordiam, sicut in Zachæum, coniecturum.

*Theophil.  
S. Greg. 27.  
Mor. 6. 27.*

*1. Cor. 18.*

## PUNCTVM II.

**E**T cum venisset ad locum, suspiciens Iesus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.

*Luc. 19. 5.*

PERPENDENDA hic est infinita Christi Domini charitas & misericordia, quæ in hoc opere luxit, dum publicani illius desiderijs ad eum abundè satis fecit, vt non solum permiserit se ab illo videri, sed etiam ad illum se inuitarit, quod cum nullo alio eum fecisse legimus. vnumquodque horum morborum, pro-

I.

III part. Medit.

A a

prium

prium habet mysterium expendendum. *Primum*, proprio eum nomine *Zachau* compellat, ut ostenderet se eum etiam nunquam antea visum, bene tamen noscere, eiusque nomen tenere, & scriptum illud esse in libro vitæ. optabat etiam vacuum illud implere, quod in illo nomine continebatur. *Zachau* enim significat purum, vel iustificationem, quod propterea nomen falsò prius usurpabat, eò quod impurus esset, iniustus, & sordidus: sed ad primam Christi Domini compellationem cœpit purificari, ut iustus esset ac purus.

II

DIXIT deinde: *festinans descende*, ut ostenderet magnam propensionem, quam ad eius iustificationem perficiendam habebat; nec velle se punctum temporis, & occasionem illum iustificandi, quæ occurrebat, negligere, sed priusquam feruens illud desiderium frigescebat, velle illud explere. docens hoc factò eos, qui in animarum conversionem incumbunt, quamprimum illis à Deo impelli vident, festinare, & vrgeri, ut concepta proposita, opere exequantur, priusquam aut ventis tentationum concrecant, aut persecutionis æstu marcescant. Et propter eandem causam, vult Christus Dominus, ut quæ ipse inspirat desideria, sine mora & magno seruore exequi curemus, & si in alto loco sum constitutus, descendam & me humiliem; si hæreo, ut pergam velociter ad explendum quod ipse præcipit. O

pit. O Saluator mi, qui nomen illud tibi accepisti, *b* *Accelerata, Festina* quæso me iustificare, ac omnes peccatores quos tua inspiratione tetigisti; tanta nos efficacitate permouens, vt mox copiosam gratiam obtineamus. Amen.

*b* *Isai. 8. 3.*

**TERTIO** dixit: *hodie in domo tua oportet me manere*, non ait cras, aut alio die, *sed hodie*, non enim placet illi si bona proposita in diem sequentem reijciantur, quando possunt hodie expediri, quia hodierna dies est securior, crastina incerta; & ideò vult hodie cum festinatione & feruore nos agere de ipso recipièdo hospitio, quia fortè cras vellemus, & non poterimus, aut certè, præteribit ipse, nosque relinquet in altis, quia oblatam occasionem illum habendi, negleximus. Quare anima mea *hodie si vocem Domini audieris, noli obdurare cor tuum*: qui enim hodie te vocat, fortè cras non vocabit, & si hodie cum se offert vt hospes sit in domo tua, tu hospitio non recipis? fortè quando tu illum vocaueris, & inuitabis, ille non veniet.

**III.**

*c* *Psal. 94. 8.*

**SED** præ omnibus valdè est dulce illud verbum *oportet*: quasi ipseus Christi Domini interfit omninò manere in domo Zachæi. O dulcissime Iesu, multò magis Zachæi, quàm tua refert; nam tu noster es Deus, & *d bonorum nostrorum non indiges*; & si quis hospitium tibi deneget, inuenies mille qui in suo te libenter excipiant: Zachæo

**IV.**

*d* *Psal. 15. 2.*

A a z

autem

autem, si tu desis, omne defuerit bonum, cur igitur dicis *oportet me* in domo tua manere? verè amor, Deus meus, quo nos prosequeris, in causa est, vt dicas, tua referre, quod maximè interest nostra; accipis enim nostra bona & mala, atque si essent tua; & quando quidem ita est, quòd oportet te in domo mea esse, ò Domine, ingredi eam, quia plurimum mea refert, vt tu eam ingrediaris; & hoc ipsum tu accipis, quasi tua intersit.

V.

DENIQUE ait oportet me *manere*, hoc est, ex instituto in ea esse, donec opus perficiam, quod intendo; quod enim tanti momenti est, non obiter, sed ex instituto, & quasi sedendo, id efficit Christus. Et quamuis venire festinet, non tamen festinat exire, nisi ab anima quæ illum excepit, excludatur. O fili patris æterni, cum quo simul ad animam e *venis*, & *mansionem apud eam facis*, veni Domine ad meam & mane in ea constanter, ita vt nunquam tu eam deseras, nec illa in eam deueniat insaniam, vt à se te repellat. Amen.

e Ioh. 14.23

## PUNCTVM III.

ET festinans Zachæus descendit, & excepit illum gaudens. Et cum viderent omnes, murmurabant dicentes, quòd ad hominem peccatorem diuertisset.

I.

HIC primum considerabo obedientiam Zachæi expeditam, & cum gaudio, vt exple-

ret

ret quæ dixerat Christus. Prius indignum se iudicabat, qui talem hospitem inuitaret; nec ausus est id petere; contentus si vel illum videre liceret: ac cum eius expertus esset modestiam & affabilitatem; audissetque aded dulcia verba, quæ illi dixit; statim plenus gaudio, omni timore reiecto illi paruit, eumque excepit hospitio. Hinc discam promptè & cum gaudio voci Dei obedire, quando ille a *stat*, a *Apo. 3. 20* ut ipse ait, *ad ostium animæ meæ & pulsat*, cupiens *ad illam intrare & cœnare cum illa*. Si enim moras traxero: eueniet mihi quod sponsæ, quæ postquam moras traxerat in aperiendo *b pulsanti sponso* quando tandem *sur-* *b C. 5. 5. 6.* *rexit, ut illi aperiret, iam ille declinauerat & transferat.*

DEINDE ignorantiam & malitiam perpendam eorum, qui de hoc Christi facto murmurabant; quia temerè iudicantes ut imprudentem eum & parum circumspectum condemnabant, quod *ad hominem peccatorem diuertisset*. Quia ignari & superbi murmuratores, finem ignorabant, ob quem id fecisset, & indignum Christo iudicabant, quod maximè ipse erat officij. Non est siquidem res indigna medico, ut domum accedat ægroti, ipsumque visitet, ac sanitati reddat. Omnes autem murmurabant, quia cum incipit aliquis murmurationem, statim se ad alios diffundit, & omnes inficit imperfectos. At Christus Dominus noster, quamuis hæc murmurationes audiret; & aliàs ex causa simili contra se

II.



fuisse murmuratū sciret, nihili tamē illas duxit, nec propterea à familiari cū peccatoribus conuersatione abstinuit quò illos lucraretur; *c. Mat. 9.12* potius dixit *c non esse opus valentibus medico, sed malè habentibus*. O medice supreme, qui è cœlo veniens, non vt iustos, sed vt peccatores ad pœnitentiam, qua indigebant, vocares, veni visitare animam meam, quæ malè habet, vt gratia tua illam restitues sanitati.

## PUNCTVM IV.

**S**TANS autem Zachæus dixit ad Iesum, ecce dimidium bonorū meorum Domine do pauperibus, & si quid aliquē defraudauit reddo quadruplum.

I. CONSIDERABO hic primū, quā fuerit perfecta publicani huius conuersio; perpendens Christum Dominum nostrum siue ante, siue post conuiuium locutum fuisse cum illo, suauiterq; & ijs rationibus vitæ mutationem persuasisse, vt cor eius deprædatus in aliud omninò transmutaret: quo exemplo nos docet qua ratione nobis sit cum peccatoribus agendum in huiusmodi occasionibus; vt corporis cibis ab eis acceptis, animæ cibum ad salutem necessarium eisdem præbeamus.

II. CONSIDERABO deinde firma illa & ad eō efficaciam Zachæi proposita, vt factum putaret, quod facturum se statuebat. Non enim ait, *dabo, & reddam*; sed *do & reddo*; & re ipsa re executus eam ad eō certam reddidit, atque si facta tunc esset. Cui simile illud est Davidis: a lu-

matu-

matutino interficiebam omnes peccatores terra. Adeo enim firmiter id facere statuebat, ut iam pro facto reputaret. Simili ergo animi firmitate vitæ meæ emendationem proponā, diuinā ad id gratiā adfistente, ita ut statim renouationi eius manum admoueam, dicens cum Davide: *b Nunc cepi*; cui mox adiecit: *b Psal. 76. 11* *hac mutatio dextera excelsi*. Nam si verè & ex deliberato animo dixerò: nunc volo incipere: statim sequetur cordis mutatio, accedente manu omnipotentis Dei, & gratiā suā faueat iuuetq̄e.

SED eadem animi firmitas adhuc pluris æstimanda est, quòd fuerit in materia non qualicunque, sed difficili admodum; nec tali quæ ipsum tota ad exequendum obligaret; sed etiam quam ex solo consilio & sua sponte cum alias non teneretur, facere decreuerat. Nam cum prædiues esset, valdeq̄; suis addictus diuitijs, quarum aliquam partem (quæ ipse erat auiditas habendi) illicitè acquirerat, ex tempore tamen facultates omnes in duas æquales partes diuidens, alteram omninò pauperibus elargitur pro suis peccatis; ex altera verò ita soluere statuit, quicquid ex iustitia debebat; ut pro maiori consciētiae suæ tranquillitate, *quadruplū redderet*. Ac porrò ex omnibus facultatibus, quas habebat valde exigua illa pars superesset; & quasi omnib. renūciaret, & se spoliaret, ut Christū Dominū perfectè sequeretur. O mūdi Saluator, q̄ verū esse ostendis, licet sit *c Mat. 19. 24.* *c* *difficilius diuitē in regnū*

*cælorum intrare, quàm camelum per foramen  
acui, id tamen esse Deo possibile, quod hominibus  
est impossibile. O quàm possibile, imò quàm  
facile & iucundum fuit huic diuiti per gra-  
tiam tuam, subitò se rebus omnibus spoliare,  
vt per angustam pœnitentiæ portâ ingredere-  
tur. Fac mihi quæso per gratiam tuam possi-  
bile, quod imbecilli naturæ meæ est aliàs im-  
possibile.*

IV.

ULTIMÒ considerabo, Zachæũ non inaniter,  
aut vt se ostentaret, hanc animi sui minurã ra-  
tionẽ Christo reddidisse, sed ex animi demis-  
sione, quò ipsi Christo tũ mentis suæ illud de-  
cretum si bonum esset probaretur; tum ab eo-  
dẽ in rebus & actionibus suis dirigeretur. Hoc  
nos exẽplo instruens, Confessarijs nostris si-  
mitem rationem eorum, quæ facere decreui-  
mus, esse reddendam: quo exactiùs securiusq;  
in bonis procedamus: Et ipsi Deo nominatim  
eadem proponamus, dicentes: Deus meus, hec  
per tuam gratiam concepì proposita: si placeat  
tibi ea, vt exequar, adiuua ad exequendum: Si  
quidem qui opus incepit, eidem incumbit ab-  
soluere, & ad perfectum deducere.

PUNCTVM V.

a Luc. 19 9.

**A**IT Iesus a ad Zachæum: quia hodie saluus  
domui huic facta est: eò quod & ipse sit fi-  
lius Abrahe. Venit enim filius hominũ  
querere, & saluum facere quod perierat.

IN hac respõsione est considerandũ, ea Chri-  
stum Dominũ Zachæi vota approbasse; & sã-  
ctificasse non ipsum tantũ, sed totã etiã fami-

Iam.

liam. Cùm, n. ipse sit vera salus, si in domum aliquam ingrediatur, totam saluat atque sanctificat, eam quasi propriam sibi faciens: quod hâc per illius caput, qui Zachæus erat, præstitit. Vt boni exempli efficacem virtutem nobis proponeret. Nam Zachæo ad Deum conuerso, omnes famuli, & domestici, ac familia vniuersa, eum secuti sunt. & propterea fortè dixit Christus: *Hodie salus illi domui facta est:* eo quod Zachæus esset filius Abraham, eius Fidei imitator, & obedientiæ, & liberalitatis: & deo tota domus & familia ipsum est imitata. Ex quo desideria concipiam bonum omnibus præbendi exemplum, tali enim occasione vti consuevit Christus ad multos conuertendos. Est tamen certum, præcipuam horum omnium causam fuisse, quam ipse Christus subiunxit: Quod filius hominis venerit quærere, & saluum facere, quod perierat. *Sicut Meditat. 49. de Oue perditâ, ampliùs expendetur.*

QUIQVID hætenus in hac historia est dictum, licet ad sacram communionem in hunc modum applicare. Primum enim considerabo: sicut Zachæo vehemèter desiderate Christum Dominum hospitio recipere; sed ob propriam indignitatem id petere non audente, eius desiderium Redemptorem nostrum permouit, vt seipsum ad illum inuitaret; quia pluris ipse desideria facit, quàm verba: ita modestere vehementia desideria Christum Dominum in hoc sacramento recipiendi concipere, & exemplo Zachæi contendere, eundem

Preparatio  
ad sacram  
Communionem,

prius Fidei oculis videre, perpendentē, quanta bona in hoc mūdo, quocunq; ingrederetur perficeret; moxque sanctissimæ crucis arborem conscendentem, aliquas mortificationes amplecti, quæ eundem Dominum prouocent, vt sibi complaceat ingredi animam meam.

II.

ET mox mihi effingam, eum dulcissima illa verba ad me dicere: *Festinus descende, quia hodie in domo tua oportet me manere*: perpendam igitur, ipsum, ante quàm ad me ingredi velit, exigere, vt festinem, magno feruore domum meam priorem ingredi, eamque preparare, verrere, & sacra Confessione purgare, ac virtutibus, vt tantum decet hospitem, exornare, admirans simul, eundem tantum Dominum apertè protestari, quòd oporteat ipsum quasi ipsius referret in domo mea manere, cum tam ego sim vilis & miserabilis. Ex quo eliciam: quamuis ipse in hoc sacramento veniat, vt me ad se inuitans, gratiæ suæ dona mihi communicet; simul tamen velle à me, sicut à Zachæo, inuitari: conuiuium verò, quòd à me expectat, & quo ipse valde delectatur, illud esse, vt inflammatis amoris desiderijs, animi gratitudine, laudibus, & spiritali gaudio illi sim præsens: magna etiam spe concepta, quòd ipso veniente, sanitatem integram & sanctitatem sim adepturus.

III.

DEMUM plurima tanto Domino fideliter seruiendi proposita ei offeram, tam in rebus misericordiæ, quàm iustitiæ; nec solùm in ijs, quæ ille præcepit; sed etiam quæ con-

sultur:

fuluit: quicquid etiam habeo, & me ipsum eidem offeram, qui seipsam aded liberaliter mihi tradit. Et hæc omnia desideria ei offerens, supplex petam, ut ea probet. O dulcis IESU, qui in hoc sacramento, ad pauperem domum meam venire dignaris, ut mansionem in ea facias, dic ei, quæso, omnipotentia verbi tui: quia *hodie huic domui salus facta est*, eiusque familiam totam & facultates sanctifica, ut placeat tibi in eadem in æternum permanere. Amen.

MEDITATIO XXIX.  
DE MULIERE CHANANÆ,  
cuius filiam Christus  
à Dæmonio liberauit.

PUNCTVM I.



PRECEDENTE IESU à in partes à Matt. 15.  
Tyri & Sidonis, ecce mulier 21.  
Chananaa à finib' illis egres- Marc. 7. 26  
sa, clamauit dicens ei: Misere-  
rere mei Domine fili David;  
filia mea malè à Dæmonio

vexatur.

PERPENDENDÆ hîc sunt virtutes, quæ in  
huius mulieris oratione eluxerunt, ut eas,  
quòd insignes valdè fuerint, imitari studea-  
mus.

I.

Prima